

in cap. Postulatis de Cler. excommun. ibi ait: Clericis excommunicationis vinculo innodatis Ecclesiastica Benef. conferri non possunt, nec illi valent ea licite retinere, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum: cum ea non fuerint canonice consecuti. Propterea collationem Beneficii, factam excommunicato, esse ipso jure nullam, communis est Theologorum opinio, ut videre est apud Peyrinum de Præs. quæst. 2. cap. 5. num. 2. ac Matthæuc. Offic. Cur. cap. 38. num. 11. Neque dicas, ly *ipso facto* fuisse in Bulla Sixtina appositum ad terrorem; & praxim invaluisse, quod Beneficia non dimittantur ante sententiam declaratoriam Judicis: propterea cum inhabilitas pari modo ibidem imponatur, nec ipsam incurri ante hujusmodi sententiam, ut cum Molina, Lessio, & aliis docet Rosignolus de Matrim. 8. præm. 14. num. 8. Contra enim, ly *ipso facto* juxta communem DD. intelligentiam importat Canonem latæ sententiæ, & significat, legem obligare in conscientia ante sententiam. Suarez de Leg. lib. 5. cap. 8. num. 1. Salas eod. tract. quæst. 98. tract. 14. disp. 15. sect. 2. Quod Postea invaluerit praxis, ut supra quoad Beneficiorum dimissionem, in primis satis non constat: deinde fieri potest, quod ita sit respective ad eos, cum quibus misericorditer jam dispensatum est, ut possint Beneficia, antea obtenta, licite retinere; idemque dici potest de jam dispensatis quoad inhabilitatem. Cæterum, seclusa hac prævia dispensatione, id absolute nego; ac propterea dico, Sacerdotem non posse retinere Beneficium, nec fructus. Non beneficium, quia est nulliter obtentum; cum enim collatio fuerit nulla, utpote facta tempore, quo electus erat incapax, ideo per tempus subsequens, aut per subsequentem absolutionem à Censura, non validatur, juxta illam reg. 18. jur. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure non subsistit.* Nec ex post facto convalescere potest, quod ab initio non subsistit, cap. auditis de Elect. Non fructus, quia collatio scienter nulla non parit legitimum jus percipiendi fructus, eosque retinendi. Quod verum puto etiamsi allegaretur ignorantia inculpabilis, excusans à censura; nam licet ignorantia inculpabilis, secundum jura, & Doctores, excuset à censura; tamen non validat actum ab Ecclesia irritatum; nec habilitat inhabilem. Cap. Quodam de Præben. in 6. juncta Glossa ibid. & cap. Quia cunctis de conces. Præben. pariter in 6. Peyrinus loc. cit. num. 4. Gonzalez, & alii: Quæ, ut patet, valent non obstante subsequenti absolutione in foro Sacramentali in vim Bullæ Cruciatæ, aut Jubilæi, ob defectum invalidæ Collationis, & Investituræ. Covarrubias in cap. Alma Mater part. 1. §. 7. & 11. de Sent. Excom. num. 76. Argyro Discep. Eccl. lib. 8. disc. 30. n. 6. & seqq.

CAS. II. Vellet vidua transire ad secundas nuptias; quoniam vero habet domum suam alteri locatam, ipsaque habitat in domo aliena, cui deservit: oritur dubium, an ne Parochus, in cujus Parœcia habet domum, an vero ille Domini debeat ejus matrimonio assistere. Quid dicendum.

Dicendum, debere illius Matrimonio assistere Parochum domini, cui deservit, & in cujus domo ipsa habitat. Ratio est, quia cum domum suam alteri locaverit, ipsa ibi non habet nec domicilium, nec quasi domicilium; ideoque spectare nequit ad Parochum talis Parœciæ ejus matrimonio assis-

tere. E contra cum inhabitando in domo domini, cui deservit, habeat ibi quasi domicilium, quod sufficit ad valide assistendum, ideo ad hunc spectat in casu illius matrimonio assistere, ut patet ex Notif. 13. tom. 2. num. 17. & Notif. 21. tom. 4. SS. D. N. Benedicti Papæ XIV.

CAS. III. Cum Parochia paucos habeat incolas, ac modicos redditus, Parochus solis diebus dominicis, aliisque festis propriæ inservit Ecclesiæ, cæteris vero diebus solum pernoctat in Parœcia; relicto, pro tempore diurno, alio Sacerdote, pro omni contrario eventu. Cum postea ipse, vel alius Sacerdos festis diebus in sua Ecclesia Missam celebrat, sinit pauperes ibi quæstuarè; nec umquam denuntiat indulgentias, quandoque à Summo Pontifice concessas.

Q. an ob hæc arguendus sit peccati mortalis.

Respondeo in primis, Parochum Ecclesiæ suæ inservientem solis diebus dominicis, aliisque festis, cæteris vero diebus in sua Parochiali mere pernoctantem, utique ob hoc esse arguendum peccati mortalis. Ratio est, quia sic oneri debitæ residentiæ, & curæ erga Parochianos, plurimum deest, ut sæpius declaravit S. Concilii Congregatio, cujus decreta jam alibi protulimus: quibus aliud nunc addo ejusdem S. Congregationis in Fulginatens. Residentiæ die 10. Maji 1687. ad dub. 1. & 2. quo expresse declaravit, oneri residentiæ minime satisfieri à Parocho, qui festivis diebus ad suam Ecclesiam accedit ac de cætero, nocturno tempore residet apud eandem Ecclesiam, sed mane se confert ad Civitatem, Vicario, seu substituto relicto. Nec Parochum excusat vel paucitas Parochianorum; ut enim recte adnotarunt Fagnanus in cap. Extirpandæ de Præben. §. qui vero, num. 11. & Pax Jordanus Lucubr. Canon. lib. 10. tit. 40. num. 43. licet in Parochia non commorentur nisi tres, vel quatuor incolæ tantum; adhuc teneatur Parochus residere: solus namque casus, in quo Ecclesia Parochialis desinat in totum Parochianos habere (quo casu remanet curata tantum habitu, non vero actu; ideoque, utpote carens incolis, regulatur uti Beneficium simplex, sicque Beneficiarius amplius non teneatur ad residentiam; Barbosa de offic. & potest. Paroc. c. 8. n. 5. & alii. Com.) valet eum à cura, & residentia excusare: quin immo etiam tunc requiritur, quod non adsit spes proxima ut habitus reducat ad actum per reversionem Parochianorum; nam si verisimile sit, quod brevi incolæ revertantur, regulanda est admodum Parochialis actus, prout relatis concordantibus notat Fagnanus l. c. num. 48. Multo minus postea eximitur Parochus ab obligatione residentiæ, ac curæ, ob modicitatem reddituum. Siquidem de jure non debet attendi commodum ipsius Parochi, qui sponte ac libere hujusmodi Parœciam suscipit; sibi que propterea debet imputare, si tale Beneficium accepit, ut recte inquit Fagnanus ibid. n. 7. sed debet attendi commodum Parochianorum. Hinc Parochus non residendo in casu, subjacet eisdem pœnis, ac si esset Beneficium pingue, prout ultra Fagnanum ibid. num. 6. & in cap. Conquerente de cler. non residen. num. 1. & 2. docent Reginaldus in Prax. Pœnitent. lib. 3. tract. 3. n. 294. Sanctarellus, & alii. An dein Parochus arguendus sit peccati mortalis, ex quo sinat pauperes quæstuarè in Ecclesia tempore Sacrificii, ita facile asseve-

rare non ausim; nam licet S. Pius V. in sua Constitutione *Cum primum*, Regularibus expresse præcipiat in virtute sanctæ obedientiæ, ut in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui tunc temporis tales ejiciat, nec sinat eos quæstuarè; tamen Parochis, aliisque, id non præcepit in virtute sanctæ obedientiæ, sed pœnam apposuit pecuniariam, si id permittant. En verba talis Constitutionis: *Pauperes quoque mendicantes, seu elemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorumque Divinorum Officiorum non sinant, sed eos ad valvas Ecclesiarum stare faciant sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos ejici curaverint, & Parochis dimidii aurei. Religiosis etiam Claustralibus, sive regularibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, ut in Ecclesiis suis deputent aliquem, qui tales ejiciat: & si negligentes fuerint, gravissime ab Ordinario corripiantur: quod si illi parere recusaverint, gravissimas pœnas incurrant, & pro qualitate personarum etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, sive Superiorum.* Cum ergo non adeo facile sit asserendum, aliquid esse peccatum mortale, nisi de re simus certissimi, ut cum Gersone doctissimo Cancellario Parisiensi lib. 4. part. 3. de Vit. spirit. litt. O. jam diximus ad Cas. 2. Novemb. 1749. ideo, &c. *Omnis enim quæstio*, ait Sanctus Thomas quodlib. 9. quæst. 7. art. 15. in C. *in qua de peccato mortali quæritur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur.* Quantum ad ultimum de omissione denuntiationis Indulgentiarum, &c. dico, quod ubi primitus justificatæ illæ fuerint coram Ordinario Loci, & hic mandaverit, ut eæ publicentur, utique arguendus est peccati mortalis, si numquam eas lucrari non satagant. Ratio est, quia, ut alibi adnotavimus, nedum Parochianis quoad ea, quæ iis sunt ad salutem necessaria, verum etiam quoad ea, quæ iis in hoc sunt valde utilia; prout de facto sunt Indulgentiæ. Ergo si has numquam denuntiat, & ob hoc Parochiani, &c. dicendum ipsum ob hoc graviter deesse muneri suo, & sic peccare mortaliter: præcipue cum Ordinarii mandatum de earumdem publicatione ad hoc tendat, ut Parochianis denuntientur, adeo ut possint eas acquirere. Debet ergo Parochus vel inter Missarum solemnias, vel alio tempore, Parochianis opportuno, eas denuntiare; non tamen priusquam fuerint coram Ordinario loci justificatæ, & hic eas publicari mandaverit: ut enim notat Brotius in Prax. Regul. tit. 4. cap. 34. n. 3. v. Indulgentias, S. Concilii Congregatio declaravit, quod nullus sine Ordinariorum licentia, & auctoritate, potest eas publicare, non obstante quacumque exemptione, etiamsi Regularis, aut in Ecclesiis ipsorum Regularium, etiam prætextu privilegiorum, &c.

MENSE JULII.

CAS. I. Confessus est Titius habenti facultatem etiam in reservata, invalidè tamen, eo quia vel caruit dolore, ac vero proposito, vel quia malitiose reticuit unum reservatum, aut aliud mortale. Q. an per istam absolutionem invalidam ablata fuerit reservatio omnium peccatorum, adeo ut sic absolutus possit absolvi ab inferiore Confessario.

Resp. omissis in sua probabilitate aliorum opinionibus, non fuisse in casu ablatam reservationem omnium peccatorum, adeo ut &c. sive talis Con-

fes-

fessio invalida fuerit defectu doloris, ac veri propositi; sive quia Titius in ea malitiose reticuit unum reservatum; sive quia denique malitiose non expressit aliquid aliud mortale. Ratio generalis est, quia ut ablata rationabiliter judicetur reservatio omnium peccatorum, taliter ut sic absolutus possit absolvi à quolibet Confessario, requiritur, quod Titius in casu revera satisfecerit fini reservationis; ut ipsimet adversarii fatentur. Jam vero in neutro ex prædictis casibus huic Titius satisfecit; siquidem finis veræ reservationis, prout hæc tollitur in confessione juxta præsentem hypotesim, non consistit in hoc, quod pœnitens genuflectat ad pedes Superioris, aut delegati, eique unum, vel alterum peccatum referat, nam secus pœnitens, qui id præstitit, & ob aliquod rationabile motivum non fuit absolutus, puta, quia voluntarie non dimiserat proximam, & liberam occasionem peccandi, posset deinceps absolvi à quovis simplici Confessario ab iis, quæ perpetravit, atrocioribus criminibus reservatis Episcopo, eo quia dicto modo se præsenavit superiori, seu delegato: quod plane alienum est à veritate; etenim qui in casu sic inabsolutum dimittit, nullo modo intendit tollere reservationem, sed potius hac adstrictum relinquere, usquequo pœnitens redeat rite dispositus. Igitur finis verus reservationis hic est, ut graviora crimina graviori judicio ipsius Ordinarii, vel eorum, qui ad hoc delegati sunt, subjiciantur; & sic fideles probe conscii, hos non nisi maturo judicio ipsorum crimina expensuros, ac solis rectè dispositis, condignaque indicta pœna, beneficium absolutionis impensuros, ab iis committendis deterreantur; ut egregie tradit Homobonus de cas. res. part. 1. cap. 1. pag. 5. Ex quo patet, finem reservationis esse, ut non indifferenter ab omnibus Confessariis, sed tantum vel ab ipso Ordinario, vel ab aliquo ex delegatis, sacramentaliter judicentur hujusmodi peccata, ac remittantur rite dispositis per absolutionem sacramentalem. Sed Titius in neutro ex dictis casibus huic fini satisfecit, numquam enim accessit rite dispositus, nec obtinuit absolutionem sacramentalem; absolutus namque fuit invalide, & sic absolutio, utpote nulla, non fuit sacramentalis: ergo &c. Neque dicas, fuisse invalidam quoad remissionem culpæ, non vero quoad ablationem reservationis. Nemo enim intendit demere reservationem absque deletionem culpæ; immo quilibet absolvens intendit quidem absolvere quantum potest, sed absolutione sacramentali. Unde cum actus agentis non operetur ultra intentionem ejusdem, *leg. non omnis ff. si certum*, dicendum, non fuisse in casu ablatam reservationem, &c. maxime cum reservatio sit quid moraliter adjacens ipsi culpæ, huic à superiore alligatum; nec satis pateat, quod ex benignitate, ac praxi Ecclesiæ in casibus prædictis deleatur reservatio, quamvis non deleatur culpa.

CAS. II. Confessus est Pœnitens, inculpabiliter oblitus unius mortalis, quod paullo post fuit reservatum. Q. an Confessarius, qui ab hoc ipsum absolvit indirectè, valeat etiam directè ab eodem ipsum absolvere?

Resp. neg. quia per subsequentem reservationem restricta, seu potius adempta est Confessario necessaria facultas ipsum directè absolvendi; ideoque utpote carens jurisdictione in reservatum de novo, directè nequit ab eo Pœnitentem absolvere. Neque dicas cum Bordonio tom. 2. resp. 38. num.

num. 48. tale peccatum in casu quoad culpam non esse amplius in conscientia, sed solum quoad obligationem illud confitendi, sicque cum Pœnitens ad illius Confessionem teneatur, non quia ab ipso fuit commissum, sed quia fuit omissum, ideo Confessarius utique potest eum absolvere. Contra enim: Pœnitens in casu tenetur etiam de illo confiteri, quia ab eo fuit commissum, si enim illud non commisisset, nihil referret omissio. Deinde, quidquid sit de hoc, & an amplius sit, necne, conscientia quoad culpam, hoc certum est, quod est in conscientia quantum ad obligationem ipsum subjiciendi Absolutioni directe, & quod reservatio adimit à Confessario facultatem, directam hanc Absolutionem impertiendi: ergo hic nequit illum directe absolvere, ni forte reservans expresse fecisset reservationem quoad postea committenda, aut tali peccato annexisset cum reservatione censuram: censura namque, saltem regulariter ad committenda refertur. Puteobonell. de Pœnit. quæst. 6. art. 1. num. 6.

CAS. III. Dubitat Sergius, an tenere possit etiam ad Confirmationem quem uti Patrinus tenuit ad Baptismum; propterea quoad hoc consultit Parochum. Quid ei responderet?

Respondet, non posse, nisi aliqua urgens causa ipsum aliter facere compellat. Ratio est, quia in primis ita colligitur ex cap. Non plures, & cap. in Cathecismo de Consecr. Dist. 4. ubi etiam allegatur consuetudo Romana, quod in Baptismo, & Confirmatione Patrini sint diversi. Deinde talis videtur esse etiam communis consensus Doctorum, ut videre est apud Cunigliati de Confirm. §. 2. num. 2. in fin. De Ligorio eod. tract. num. 187. Giribaldum ibid. cap. 2. dub. 4. num. 18. Sporer in suplem. §. 4. Salmanticenses, Anacletum, & alios passim. Unde cum sententia communis, juxta vulgatum juris axioma, habenda sit quasi pro lege, ac pro ratione moraliter evidenti, & demonstrativa, per Abbatem cap. 1. de Decim. Felinum cap. 1. de Constitut. num. 54. ac Baldum in cap. Ne inicitis; ideo dicendum, Sergium non posse &c.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. **U**ltima die, qua expirat Confessario facultas audiendi Confessiones, vocatur ad excipiendam Confessionem infirmi. Præsto est diligens Confessarius. At quia Ægrotus morbo graviter premitur, non potest facere Confessionem nisi formaliter integram. Q. I. an si die sequenti infirmus taliter convaluerit, ut possit integre confiteri etiam materialiter, idem Sacerdos valeat ejus Confessionem excipere, quamvis non obtinuerit novam approbationem, & etiamsi commode haberi, possit alius Confessarius approbatus: Secundo, an idem Sacerdos similiter valeat excipere Confessionem sani, qui heri penes ipsum confessus est, sed inculpabiliter omisit aliquod lethale.

Resp. ad I. affirmative cum Sanchez in Decal. lib. 2. cap. 13. num. 15. Tamburino de Pœnit. cap. 4. §. 10. Card. de Lugo eod. tract. disp. 19. sset. 1. num. 24. cæterisque communiter. Ratio est, quia causa incep-

ta, & non finita, durat Delegati potestas, donec terminetur, ut ex cap. Gratum, cap. In litteris, & cap. Relatum, passim notant DD. Sed in casu Confessarius, incepit causam, seu iudicium Confessionis infirmi, quam Confessionem, ob gravitatem morbi, hic finire non potuit: ergo durat Confessarii potestas, donec terminetur; ac proinde potest die sequenti eam excipere &c. quemadmodum, juxta communioem, plausibilemque sententiam, simplex Sacerdos, qui jam cœpit audire Confessionem moribundi, prosequi potest hanc audire usque ad terminum, quamvis interim adveniat Confessarius approbatus. Et hoc à fortiori valet, si idem infirmus ad hunc finem postulet eundem Sacerdotem, qui interim nequeat facultatis prorogationem facile obtinere: hic etenim casus videtur per epichejam exceptus; & in hoc, ac etiam in prædicto casu, intervenit ratihabitio de præsentibus, & consensus tacitus Eminentissimi Archiepiscopi; cum praxis, ac experientia doceat, pluries intra annum Confessariis hujus Diœcesis concedi absque ulla difficultate prorogationem facultatis ob causas etiam non adeo graves. Hinc cum taciti, & expressi eadem sit virtus, l. Cum quod ff. si certum petatur, idem consensus tacitus tribuit jurisdictionem, & per consequens sufficit, ut valide, ac licite fiat Sacramentum: Barbosa de Potest. Episcop. alleg. 25. n. 3. Giribaldus de Pœnit. cap. 13. dub. 12. & alii passim, qui tamen advertunt, per consensum tacitum ratihabitionis obtineri jurisdictionem, non simpliciter, sed pro ea tantum Confessione, sive pro tali tempore, aut pro illis solum, quibus hoc permittitur.

Ad II. resp. affirmare Dianam part. 11. tract. 8. resol. 28. hoc nixum fundamento, quod sequens Confessio peccati obliti pertinet ad priorem. At communis opinio negat cum Fagundez de 2. Eccl. præcept. lib. 7. cap. 2. num. 34. & Tamburino l. suprac. eo quia Confessarius in hesternâ Confessione jam protulit definitivam sententiam, & complete obivit munus suum, impertiendo absolutionem Pœnitenti: unde Confessio peccati obliti proprie non complet, nec spectat ad iudicium præcedens; sed est accusatio, seu actus novi iudicii, ab illo diversi; quod propterea ab eo, cui expiravit facultas, nec licite, nec valide fieri potest. Hanc secundam sententiam in praxi tenendam consulo. Si quis tamen cum Diana sentiret, illum erroris damnare non audeam, usquequo ab Ecclesia id definitum non habeamus. Unum addo cum Casare de Panimollis decis. 47. num. 10. & est, quod si Pœnitens post priorem Confessionem aliud grave peccatum commisit, tunc dictus Sacerdos, absque nova facultate, nequit eum absolvere; quia hoc novum peccatum non pertinet ullo modo ad Confessionem præcedentem, sicque Confessarius absoluta indiget nova facultate, ut Pœnitentem absolvat, cum nequeat illum absolvere ab uno, & non ab alio.

CAS. II. Puber ob metum gravem sodomitice indulsit viro incubo. Q. an incidit in reservationem?

Resp. plures negare, quia ad incurrendam reservationem, requiritur, quod peccatum fuerit commissum cum plena voluntarietate, quæ in casu defuit, cum ratione gravis metus, peccatum fuerit puberi involuntarium.

rium secundum quid. Hinc sicuti si tali peccato esset annexa Excommunicatio, puber in casu eam non incurrisset; ita nec reservationem. Alii è contra communius affirmant, quia ex una parte reservatio directe non afficit Pœnitentem, sed Confessarium, cum sit restrictio jurisdictionis ejusdem; ex alia peccatum fuit puberi simpliciter voluntarium: licet enim fuerit ad ipsum inductus ob gravem metum; tamen ejus voluntas, etiamsi tali metu coacta, adhuc fuit vera voluntas, & quidem sufficiens ad mortale, cum ageretur de malo gravi ab intrinseco. Nec refert paritas de Excommunicatione. Disparitas namque est, quia Excommunicatio est pœna, afficiens quidem directe ipsum peccatorem, sed contumacem, ideoque supponit in peccante plenam voluntarietatem, quæ cum in pubere defuerit, nil mirum quod in facta hypothesis hic eam non incurrisset. Ab opposito: Reservatio, saltem juxta sententiam magis communem, non est pœna, nec afficit Pœnitentem, sed Confessarium, nec requirit contumaciam; propterea ad ejus incursum sufficit, quod commissum sodomix peccatum sit voluntarium simpliciter mortale, & cum iis qualitatibus, ob quas cadit sub reservatione, hoc est, in vase præpostero completum, & consummatum; ubi supponitur in casu, in quo proinde puber incidit in reservationem. Utraque sententia probabilis est, ideoque si Confessarius simplex puberem absolveret, recte se gereret. Reservatio enim in casu non est certo incurta; & stante probabilitate hinc inde, Ecclesia non adimit jurisdictionem, ac est in Confessario jurisdictio certa, ut cum Mazzuchello tradit Puteobonellus de Pœnit. quæst. 6. art. 2.

CAS. III. Puellæ gravidæ, paratæ se occidere, Clericus suasit abortum.
Q. an per hoc deliquerit, eoque secuto, sit irregularis.

Resp. deliquisse, & quidem gravissime, ac secuto abortu, ipsum esse irregularem. Ratio pr. part. est, quia in iis quæ sunt intrinsece mala, non licet per se consulere malum aliquod, etiamsi ab altero gravius expectetur, cum etiam in isto casu illud minus malum, malum sit, adeoque omnino evitandum; ut recte inquit P. Mansi de Cas. Reserv. part. 1. quæst. 2. cas. 5. num. 29. Et sane quis non percipit, Clericum sic præbuisse consilium directe tendens in expulsionem, ac occisionem foetus innocentis, & hanc fuisse assumptam tamquam medium ad impediendam mortem puellæ culpabilis? quod plane illicitum est, dicente Apostolo, non esse facienda mala, ut eveniant bona; ergo talis Clericus revera gravissime deliquit. Neque opponas, non esse malum, de duobus malis minus consulere: hoc etenim valet solum in casu, quo quis debeat de duobus malis unum necessario eligere; tunc enim, cum nullus peccet, juxta D. Augustinum, in eo, quod evitare non potest, qui eligit minus, male non agit: ideoque & qui consulit minus, male non consulit. At in præsentis non sumus in eo casu; immo tantum abest, quod puella haberet debitum vel se occidendi, vel abortum procurandi, ut utrumque absolute esset ei omnino vetitum; & sic vetitum quoque erat ei consulere, ac suadere abortum: uti etiam colligitur ex 34. proposit. damn. ab Innoc. XI. Ratio secundæ partis in primis expresse constat ex Bulla *Effrenatam* Sixti V. quæ inter alia statuta contra pro-

curantes, aut consulentes abortum foetus animati, apponit etiam irregularitatem S. Pontifici-reservatam, in ordine ad quam Gregorius XIV. in sua Moderatoria nihil innovavit. Deinde persuasionem abortus foetus animati influxit in homicidium; ergo hoc secuto, est irregularis. Vide prædicta ad 1. Junii hujus anni.

M E N S E S E P T E M B R I S.

CAS. I. Parochianus Bononiensis una simul cum suo Parocho devotionis gratia Lauretum perventus, hunc rogat, ut suam Confessionem excipiat. Excipit hic probe sciens, se id posse facere. Quoniam vero Pœnitens eidem exponit non reservatum hic Bononiæ, bene vero Laureti. Q. an Parochus ab eo possit ibi illum absolvere; & quid si ibi exponeret reservatum hic, non vero Laureti.

Resp. quantum ad I. affirm. cum Card. de Lug. de Pœnit. disput. 20. sect. 5. num. 73. v. dices, Barbosa de Offic. Episcop. part. 3. allegat. 52. num. 16. Possevino, Mazzuchello, & aliis. Ratio est, quia jurisdictio Parochi Bononiensis, quoad absolutionem sui Parochiani in foro interno, non habetur ab Episcopo Lauretano, nec ab ipso dependet, cum sit ordinaria, eique competat ipso jure ratione Officii, ac Beneficii Parochialis; ut expresse tradunt Benedictus XIV. de Synodo Dioc. lib. 5. cap. 4. num. 2. Giribaldus, alique passim; ac proinde per reservationem Episcopi Lauretani non restringitur quoad absolutionem sacramentalem dicti Parochiani, qui propterea ibidem potest ab ipso absolvi. Neque dicas, ei quidem competere à jure, sed cum limitatione ad Civitatem, vel Oppidum, in quo sita est Parochialis; ut declaravit S. Conc. Congregatio die 23. Maii 1583. apud Galemart. ad cap. 15. sess. 23. Conc. Trident. Contra enim; quamvis hoc verum sit in rigore juris; tamen ex habituali consuetudine, fere ubique introducta, scientibus, & non contradicentibus Ordinariis, quoad Parochianos extenditur, nedum ad totam Diocesim proprii Episcopi, verum etiam extra; ut de communi testatur laudatus Benedictus XIV. Institut. 86. num. 7. ac declaravit eadem S. Conc. Congr. in Posnaniens. die 3. Dec. 1707. definiendo, licere Parocho absolvere proprios subditos etiam extra Diocesim, ut videre est apud Monacellum in Supplem. ad 1. Tom. num. 174. Hinc licet iis in locis, in quibus adhuc viget rigor juris, & consuetudo in contrarium (prout teste Bonacina viget adhuc Mediolani) talis consuetudo à Parochis respectivis servanda sit, adeoque ipsorum jurisdictio etiam quoad subditos coarctetur ad locum, aut propriam Diocesim; sicuti coarctatur jurisdictio Confessariorum, qui ab Episcopo solum approbati fuere ad audiendas Confessiones sæcularium in sua Diocesi; tamen quia hic Bononiæ, ejusque Diocesi, non viget hic juris rigor quoad Parochos respectivè ad suos Parochianos; ideo asserui, Parochum posse in casu exposito suum Parochianum Laureti, absolvere à casu, ibi tantum reservato.

Quantum postea ad 2. censeo cum Giberto in Corp. Jur. Can. tr. de Sacram. tit. 7. de Indulgent. sect. 1. reg. 42. Joan. Dominico Mansi de Cas.

Reser. part. 1. quæst. 1. §. 3. num. 21. Pedrolo de Minist. Sacram. Pœnit. part. 2. cap. 4. sect. 2. artic. 1. num. 54. non posse Parochum suum Parochianum Laureti absolvere à casu hic Bononiæ reservato, quamvis non sit reservatus Laureti. Ratio est, quia licet jurisdictio Parochi revera ordinaria sit in foro interno, eamque in rigore non habeat à proprio Episcopo, sed à jure, & à Papa; tamen proprii Episcopi imperio tota Parochorum jurisdictio subest, ut expresse docet Benedictus XIV. in supra laudato Opere de Synodo Diocesana, libro, capite, & numero citatis. Unde sive Parochus Parochianum absolvat intra Diocesim, sive extra, eundem semper absolvit vigore jurisdictionis subjectæ imperio sui Episcopi: à quo propterea sicuti quando habuit potestatem delegatam in reservata, potest, juxta Graffum, aliosque à Cabrino relatos res. 48. illa uti cum suo Parochiano, tum intra, tum extra Diocesim; ita viceversa quando illam non habuit, prout supponitur in casu, eadem uti non potest cum suo Parochiano, sive intra, sive extra Diocesim; ut recte ait Mansius loc. cit. non enim est major ratio, quare ampliatio facultatis, facta ab Episcopo, sequatur Parochum etiam extra Diocesim, & ejusdem facultatis limitatio illum non committetur, præcipue cum reservatio Parochum afficiat non minus, ac alium quemlibet Confessarium Episcopo reservanti subjectum. Nec refert, quod hic agatur de absolutione Parochiano impertienda extra Diocesim, & Tridentinum affirmans inesse Episcopis facultatem sibi reservandi casus, dicat sess. 14. de Sac. Pœnit. cap. 7. hujusmodi facultatem *Episcopis omnibus inesse in sua cuique Diocesi*; nam in primis responderi potest cum laudato Gibert. quod cum Parochus, suum Parochianum etiam Laureti absolvens, eundem absolveret ut Parochus talis Diocesis, intra illam eundem absolvere censeretur. Deinde ex quo Tridentinum asserat, inesse Episcopis facultatem sibi reservandi casus *in sua cuique Diocesi*, nil inde evincitur contra hanc nostram assertionem; mens namque Patrum Concilii per hujusmodi verba hæc fuit, quod quilibet Episcopus casus sibi reservans, hujusmodi actum exerceret in loco suæ jurisdictionis, adeoque non in aliena, sed in sua Diocesi. De cæterò an facta ab aliquo Episcopo reservatio Parochos, aliosque subditos Confessarios afficiat extra Diocesim, necne, nil ibi à Concilio statutum; proindeque nihil inde erui potest in contrarium. Quod si reponas, statutum reservationis habere rationem legis, cujus indoles est, per se, ac inmediate respicere territorium, seu Diocesim, eique quasi coherere; ac proinde non posse eum adstringere, quia extra Diocesim existit; ut patet in sententia excommunicationis, juxta Bonifacium VIII. in cap. fin. de Constitut. in 6. eos subditos non afficiente, qui peccatum sub excommunicatione reservatum, extra Diocesim committunt: Respondeo, instantiam, ac paritatem probare, quod si Pœnitens ibi, nempe Laureti ubi hujusmodi peccatum non est reservatum, exponat Confessario diverso à proprio Parocho, ab eo possit absolvi: quod nec ego inficior, cum Confessarius Lauretanus non ligetur à reservatione Archiepiscopi Bononiensis, neque huic subsit quoad suam jurisdictionem. At diversimode loquendum cum agitur, prout in casu, de confessione facta ipsimet proprio Parocho Bononiensi; cum enim jurisdictio ejusdem adhuc subsit, quoad suum Pa-

rochianum, Archiepiscopo Bononiensi, etsi Laureti degat, prout supra dictum est, ideo &c. Hinc solum eo tunc posset pœnitens ibi à Parocho absolvi, quando ad id facultatem reciperet ab Episcopo Lauretano: in quo casu eundem non absolveret ut ejus Parochus, sed tamquam alter Confessarius, ab Episcopo Lauretano approbatus; ac jurisdictionem habens: circa quod nulla est difficultas, quod eo in casu posset illum absolvere.

CAS. II. Cum in antecedenti dictum sit, jurisdictionem Parochi esse à Papa, & hoc non obstante, Parochum non posse absolvere subdictum à reservatis proprio Episcopo, etiam extra Diocesim. Q. 1. undenam colligatur hujusmodi jurisdictionem esse à Papa, cum Episcopus ille sit, qui ut plurimum Sacerdoti confert Beneficium Parochiale, ipsumque immittit in possessionem ejusdem: 2. cur sit subjecta Episcopo, eo ipso quod habetur à Superiore majori?

Resp. ad 1. ex eo id colligi, quod licet Episcopus revera ut plurimum Parochiale Beneficium conferat, &c. tamen non ipse eo tunc annectit ipsimet Beneficio collato jurisdictionem, neque eo tunc illam confert Sacerdoti, sed eam supponit jam Beneficiis Parochialibus annexam à Summis Pontificibus, qui ipsamet Beneficia Parochialia instituere, vel saltem jurisdictionem eis annexam decrevere, semel ac aliquis in Parochum esset institutus. Unde ex quo ipsimet Summi Pontifices per sacros Canones decreverint annexam Beneficiis Parochialibus hujusmodi jurisdictionem, hinc fit, ut Parochi non ab Episcopis, sed à Papa, & à jure, eam habere dicantur, quamvis Episcopus is sit, qui ut plurimum Beneficium confert; & per se, vel per alium immittit in ejus possessionem: Filiucius tom. 1. tract. 7. num. 279. Casuropolus de Pœnit. punct. 12. num. 9. aliique. Accedit, jurisdictionem Parochi in foro interno esse ordinariam, ut supradictum est, proindeque etiam extra Diocesim, ut diximus, regulariter potest illam exercere, audiendo subditi confessionem; ergo non ipsam habet ab Episcopo; Episcopus namque jurisdictionem ordinariam conferre non potest, ut restatur Menochius Cons. 52. num. 16. Ergo illam habet à jure, & à Papa. Ad 2. dico, hujusmodi rei causam non esse aliunde petendam, quam à voluntate ipsorum Romanorum Pontificum, qui volvere talem subordinationem, ad meliorem Christiani populi disciplinam, & ut sic omnia essent melius ordinata. Hinc sicuti quamvis per Apostolum Deus posuerit Episcopos regere Ecclesiam, tamen quia in Romano Pontifice residet suprema potestas in Ecclesiam universam, omnia taliter à Christo Domino ordinata sunt, ut in ordine ad aliqua hic possit sibi jurisdictionem peculiari-ter reservare; ita cum proportionem idem dicendum de Episcopis respective ad Parochos propriæ Diocesis. Propterea Trident. sess. 14. c. 7. in peculiari loquens quoad casuum reservationem, inquit: *Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam, & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur. Unde merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas, nimirum graviores, suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quod omnia, que à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis in sua cuique Dioc-*